

262

260

266

256

271

251

311

211

361

161

Ende

Anfang

251

trojanum, Laomedonte interfecto. Et tantum de vellere aureo,
quod forte post ejus adeptionem translatum fuit per Jasonem in
Cholos sive in Rhodum insulam, propter insulae nobilitatem et
munitionem. Nec omnino inutile est posuisse hanc historiam, cuius
meminit Hieronymus in epistola, qua sacerdotem Valentem ad
castitatem inducit hortans exemplo Jasonis viriliter agere.

In Spec. Natur. L. VI. C. 78 dicitur, quod vellus aureum
sit res quaedam ex aquis generata nobilissima, pretiosissime colo-
rata, sed Michael Libro de memorabilibus orbis dicit, quod in
Colchide regione torrentes aurum ferunt, quod barbari lanosis
pellibus excipiunt, haeretque pellibus arena defluente. Guido autem
de Columna, translator historiae trojanae in stilum familiarem, de-
tectis fragmentis, quibus antiqui eandem exornavere, libro I. C. 1.
dicit, quod vellus aureum fuit immensus thesaurus Octae, regis
Colchorum, traditus custodiae mirabili dei Martis, in cuius custo-
dia erant boves quidam deputati urentes flamas ex ore vomen-
tes, et draco squamis horridus, flamas igneas exhalans, et
haec per incantationem signita et artes mathematicas, quibus etiam
Salomon tutavit thesauros reconditos in paterno sepulchro, ut dicit
Josephus et habetur supra P. I. Fol. 97 B. Quicumque ergo
hunc thesaurum optavit habere, cum bobus necesse habuit inire
certamen et demum cum dracone. Et cum multi strenui cumu-
lum thesauri quaerere sibi voluerunt, impugnantibus incantationi-
bus noxiis necem crudelem invenerunt. Et ibi lege, quomodo Jason
ad thesaurum venit.

Porro Diodorus Historiarum libro dicit multo aliter de aureo
vellere. Ait enim: cum Phrixus in Colchidem venisset cum suo
paedagogo, qui dicebatur Aries, ambos Octa rex captivavit, sicut
omnibus adventantibus fecit, ut eos sacrificaret. Eodem tempore
advenit amicus Octae, Cambrus Scytharum rex, qui Phrixo misertus
eum ab Octa petitum dono accepit, Aries autem ad sacrificia
ducens jugulatus est, pellem autem a cadavere avulsam de more
templo affixit, ubi prius multae pelles hominum expansae stabant,
quo facto divinorum oraculo dictum est Octae, se tunc moriturum,
cum hospites advenirent, qui Arietis pellem auferrent. Quo rex au-
ditio adhibitis templo custodibus pellem ipsam deauravit et accu-
ratissime custodire fecit, sique usque ad adventum Jasonis res
stetit, qui pellem tulit. Porro rapta pelle per longissima itinera,

